



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXII. De contradictione doctrinæ & actionum Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

ac te offendendi : sed purè cupiam tibi placere , neque movear hominum dictis : neque tempus in meī apud eos justificatione consumam ; sed tota vita mea , tempusque impendatur studio tibi placendi, & omnia sufferendi tuo amore.

VII. O Magister æternæ veritatis ! tu jussisti nos orare pro *Oratio pro* calumniantibus nos : non jussisses, nisi velles exaudire. Rogo ergo, *maledictio.* ut parcas omnibus , qui malè loquuntur de me. Tu scis, eos non tantum mali dicere , quantum est in me ; neque tantam esse malitiam dicentium plus , quàm sit in me , quanta est bonitas tua, in me tolerantis ea, quæ non dicunt. Tu Domine, mederi potes omnibus, & mihi, ut emender ; & illis, ut desinant obrectare. Fac, Domine, ne meâ causâ pereat quisquam, à te tam carò redemptus. Da illis nôsse puritatem tui amoris, ut eum desiderent : divitias tui spiritus, ut eum petant : dulcedinem tuæ conversationis, ut eam requirant : bona, quæ tuis largiris , ut occupentur tecum, & me dimittant, non meâ causâ, sed sui spiritualis profectus. Convertite linguas eorum in tuas laudes , ut honoreris per eas , non offenderis. Da illis charitatem , ut me adjuvent emendando , quod in me desiderant ; & uni me illis amore sincero, ut lauderis in omnibus. Mater Dei ! impetra mihi locum inter domesticos Filii tui , & omnibus, qui de me non bene loquuntur. O cives cælestes, impetrare nobis, ut lingua nostra semper eum laudet, in cujus laudibus vos toti occupati estis in secula, Amen.

Æ R V M N A X X I I.

De Contradiçtione Doctrinæ, & Actionum
CHRISTI.

I.

Contrariè peccatum, quod in consuetudinem venit, *Consuetudo* secum trahit alia multa , etiam se graviora , quibus *etiam le-* aperit viam. Nam ut S. Gregorius ait, culpa, quam *vium peris-* non diluit pœnitentia , suo pondere trahit alias *culosas.* multas post se : quod experitur , quisquis attendit ad res suas, si non refrenet inclinationem ad aliquod malum , per eam *Et hanc* subintrare alia , quæ multum possint ei nocere. Quare *Damora* tentator diabolus id inter alia præcipuè studet, ut ejus in- *clinatio.*

curat pra-
cipue,

Eccl. 19. 1.

quis levis
inclinatio
sensim du-
cit in gra-
vissima.

clinationis emendationem impediatur: quod cum obtinuit, parum curat impedire alia bona, quæ talis facere potest; securus, dum hæc sibi porta patet, non defuturam occasionem, nec tempus, homini plus nocendi. Hinc etiam non refert, levia sint, an gravia, modò consueta sint: nam etsi rarò graves lapsus contingant, æquè periculosi sunt leves, cum negliguntur. *Qui enim spernit modica, paulatim decidet*, inquit Sapiens. Sanè apud Religiosos, qui profitentur majorem curam animæ suæ, passim clarissima sunt experimenta istius. Neque enim subito prolabantur in dissolutionem per graves defectus, sed per leves relaxationes: nec apud omnes, sed apud paucos quosdam; quos imitantur sensim alii, ac denique omnes. Ita, qui obliviscitur fervoris, quo cœpit, incipit nugari; postea vagari & effundi; tum descendit ad murmurationem, hinc ad impatientiam, deinde ad inobedientiam, denique ad fastidium disciplinæ. Alius otio, alius per desideria rerum exiguarum, alius visitando amicos, & discurrendo per domos, amittit recollectionem internam; alii ex rebus per se planè levibus, dum Superiores tantum attendunt ad magna, velut è tenuissimis liciis, deveniunt in funes crassissimos, neque securi, neque igne solvandos. Ita major pars malorum nascitur ex mala inclinatione, quâ peccatur, dum ab initio non occurritur; sic ex consuetudine murmurandi, quod solum temporis fallendi causâ fieri videtur, quanta non mala proveniunt? Nam illam comitantur mendacia, quibus res minuuntur, augentur: judicia temeraria, malignæ interpretationes, infamationes, maledicentia, falsa testimonia, non sine cholera, rabie, indignatione, contemptu, irrisione; & obligatio restituendi famam, quæ tamen nunquam ferè impletur: ac demum ex usu murmurandi contra omnia, fit ut malum dicatur bonum esse, & reprobetur, quod erat virtutis, studio contradicendi, auctoritatem alterius immittendi, & quàm pessimè illi faciendi.

Quantas
contradi-
ctiones le-
vis sit pas-
sus.

II. Hujus rei clara demonstratio est in malis horribilibus, in quæ devenerunt linguæ, quæ murmurabant de Christo, postquam cœperunt contradicere toti doctrinæ, & omnibus ejus operibus, ut quò clarior & notior erat ejus doctrina, eò magis eam conarentur obscurare; & quò magis admiranda opera, eò magis acueren-

acuerentur ad obloquendum. Per hanc januam murmurationis, quia non tenebatur clausa, irruerunt plurima, gravissimæque peccata, quæ commiserunt in illum: ac præter damna, quæ fecerunt sibi et ipsis, Christum Dominum nostrum afflixerunt gravissimè; quia tangebant id, quod maximè sentiebat sua Majestas. Retrahebantur enim animæ debiles, ne reciperent gratiam, quam eis parabat: scandalizabantur cordati, animabantur malitiosi, avertebantur, qui erant modicæ fidei: indurabantur contradictores, impediebatur lumen, quo poterant imbui; ac Domino creabatur magnum fastidium, quòd perderet tempus, quod in eorum bonum expendere decreverat; cum totum in illis refutandis, & avertendis majoribus damnis videbat consumi. Quando illis dabat spem obtinendi veniam peccatorum, eamque utpote tanti momenti, confirmabat miraculis, arguebant eum blasphemiam. Cum demonstraret, se esse filium DEI, arguebant eum falsi, quòd solus hoc sibi testimonium daret, opera Divina, quibus id confirmabat, eludendo; ut adimerent ei fidem apud homines, interrogabant eum, quam auctoritate prædicet, ac patret miracula. Cum suam doctrinam stabiliret miraculis, submovebant homines è Synagogis, prætextu Sabbathi. Sæpe consultabant, quomodo impediri possent ejus opera Divina, prætextu boni publici; ne Romani putarent, eum seditiones moliri. Si quis ex occultis discipulis ejus, aliquid in ejus defensionem diceret, mox opprimebatur clamoribus, rixis, & contumeliis. Videntes veritati se prævalere non posse, dicebant in Concilio: *Videtur, quia nihil proficimus?* ex quo patet, longè majorem fuisse interiorem malitiam eorum, & studium contradicendi illi, quàm possent foris exprimere. Atque hæc omnia bene videbat Christus sapientiâ suâ.

Ioan. 12. 19

III. Cum in die Palmarum populus & pueri sequerentur eum, laudantes Deum, illi rabie pleni culpabant eum, quòd illos non juberet tacere. Cum populus admiratus ejus opera Divina Deum laudaret, ipsi palàm se opponerent, ut illa obscurarent. Multas ei quæstiones proposuerunt, audiente populo, ut eum confunderent; sed cum ad ejus Divina responsa cogerentur obmutescere, versû sunt ad consilia, quo modo possent eum evertere.

In his contradictionibus exacti sunt tres anni, quibus prædicavit, donec videntes frustra se esse, jusserunt eum capi. Sed cum ministri ad hoc missi, præ admiratione doctrinæ ejus, id non fecissent, sub gravi pœna prohibuerunt, ne quis eum sequeretur: cumque, ut non desunt, qui gratiam aucupentur majorum, referrentur illis nova miracula, rigidè examinârunt eos, qui fuerunt sanati, ut ansam aliquam invenirent, eum damnandi, sicut fecerunt Paralytico sanato ad piscinam, & eî, qui natus fuerat cæcus: à quo, cum potenter essent refutati & confusi, ut non possent respondere, cum contumelia ejecerunt illum è Synagoga. Quin & Lazarum à morte resuscitatum cogitaverunt occidere: quòd multi propter id miraculum crederent in Dominum. Creabant hæc Divino agnello tantum fastidium, ut jam per Isaiam diu antè graviter de hoc fuerit questus, & postea per Apostolum: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.* Unde etiam aliquoties cedens eorum malitiæ abiit ex Judæa, vel se ad tempus abscondit; identidem revertendo, si forte rediissent ad mentem saniorum. Cum abiret, præcipiebant, ut quisquis nôset ubi sit, eum deferret: cum rediret, ringebantur præ rabie, quòd eî nocere non possent; & ubique sequebantur eum, contradicendi occasionem querentes, quicquid poterant inferendo molestiæ illi, qui tanto studio quærebat eorum salutem. Quàm hæc gravia Domino fuerint, explicari non potest: magis tamen admiranda est malitia mentis humanæ, quæ semel obstinaverit animum ad contradicendum agnitæ veritati, ac Divinis operibus: nam in Christo nullam occasionem habebant, quando nec averfatus est societatem, nec dedignatus mensas eorum, nec domos, cum invitaretur, omnem eis veritatem & humanitatem ostendens.

IV. Neque etiam affectavit, aut imminuit eorum auctoritatem, honorem, opes, aut libertatem: quin disertè docuit homines eis obedire: & tamen ei contradicebant in omnibus. Et cum ostendissent, se paratos accipere Joannem Baptistam pro Messia, si ipse id non abnuisset; Christum, in quo omnia erant majora, noluerunt agnoscere. Non desit hoc malum contradicendi virtuti & veritati, cum hac improba gente; sed hodieque servit

DEI

*Mat. 65. 3.
Rom. 10. 21.*

Contradicitur

DEI gradiendum est per hos turbines, ut eorum virtus probetur: ^{eis amicum} & eos quidem excitatos à cognatis, amicis, sociis, & his, quos ^{servus Dei.} multis modis habent obligatos; nec raro ab his, qui sunt alicujus nominis & auctoritatis: qui tantò sunt inhumaniores carnifices, quantò majore colore tegunt malitiam, rationem officii sui, boni publici, vel justì respectus alicujus obtendentes. Quæ crux adeò crescit nonnunquam, ut nesciam, an aliqua possit esse acerbior, & magnâ servo Dei vigilantia sit opus, ne dejici aut vinci se sinat; cum totum eò tendat, ut illi adimatur fides, auctoritas, & existimatio. Et est hoc semper invenire in mundo, ut, quorum operâ maximè indiget, ac magno cum emolumento frui posset, eos maximè conetur pessundare, malitque eos perdere, quàm bonis illis ditari per ipsos; non quòd sibi aliquid ab eis incommodi rimeat, sed ideo tantum, ne videantur illa bona, vel etiam perfectiora, & uberiora provenire ab ipsis, quàm ab aliis: atque adeò mavult illis bonis carere, ac suis malis mederi majore sumptu, dispendio, & interdum non sine aliqua sua nota, quàm videre tales viros aliqua re præstantia florere: nec justitiam, neque conscientiam, nec amorem proximi aut boni publici, neque proprium honorem curando, hoc solùm spectantes, ut virtuti, honori & personæ servorum Dei obsistant. Quæ fuit ipsissima malitia Judæorum: nam hi neque plus honoris, sanctitatis, aut securitatis habere poterant, quàm adjungendo se Christo Domino Cæli & terræ, Sancto sanctorum, domitori maris & malignorum spirituum: sed ne ipsum honorare vel æstimare viderentur, statuerunt illi semper contradicere. Quod vitium si fortè illos invaserit, ^{gravissimè autem à proficientibus sanctitatem.} qui profitentur sanctitatem, persecutores fiunt acerbissimi, contra quos difficillimum est remedium invenire; quia professione sua pro pallio zeli utuntur, & laxando frena indomitæ naturæ faviunt eò crudeliùs, quò manifestiùs contra obligationem suam persequuntur agnitam veritatem.

V. Essent hîc multa dicenda pro solatio servorum Dei, ^{illis solatio sic exemplum Domini,} qui talia patiuntur, crucem verè gravem purè amantibus Deum ac proximum. Sed cum Dominus, cui serviunt, hoc ita permittat in majorem eorum coronam, sufficiet eis oculos defigere in Christum

Media con-
tra vitium
contradi-
cendi.

Ose. 4. 4.

Eccli. 4.
30.

Christum, quem vident eadem passum; & gratias agere, quod eodem ipsos honore dignetur, qui est unicum refugium ipsorum & Judex. Plura dicenda forent his, qui laborant hoc vitio. Sed cum luci Divinæ locum non dent, quis eorum cæcitatem sanabit? sufficiat afferre, quo muniantur alii, ne in malum hoc incidant; quod spectare potest illud apud Oseam, quo, cum Deus prædixisset, se plurima maxima peccata populi sui non posse non punire pro meritis, rationem ejus comminationis hanc affert; quia *Populus tuus, sicut hi, qui contradicunt Sacerdoti*: quasi diceret, peccata populi esse nimis enormia, atque adeo paria his, qui contradicunt Sacerdoti. Nam cum illis ideo dati essent Sacerdotes, ut per eos perpetuò conservaretur Religio, & vera noticia DEI Legisque Divinæ, ac si fortè peccassent, sacrificiis & orationibus Deo reconciliarentur; Sacerdotibus contradicere, erat omnia bona abjicere, & omnis mali remedia contemnere. Quid ergo fuit contradicere summæ veritati, Filio Dei vivi, Sacerdoti æterno, Redemptori & Salvatore nostro? res verbis exaggerari non potest. Quia verò contingit aliquos in istud peccatum labi, qui non satis intelligunt, vel advertunt, quam grave sit contradicere cognitæ veritati; sufficiet eis pro remedio, ut agnoscant istam consuetudinem contradicendi, esse quasi pactum quoddam cum mendacio, & odium propriæ salutis: neque talem Deo placere. Quia omne bonum, in quocunque inveniatur, est res Dei: cum ergo te opponis veritati prolatae ab eo, quem averfari, Deo te opponis. Quisquis autem assuescit sua dicta tueri contra manifestam veritatem, prolatam ab altero, nec vult retractare suum errorem, sensim devenit eo, ut amittat omnem respectum veritatis & virtutis, sine metu contradicendi. Propterea monet Sapiens: *Non contradicas verbo veritatis ullo modo, & de mendacio in eruditionis tua confundere.* Nam clarum signum est exigui judicii, quod veritatem vel non capiat, vel emendare se nolit. Veritas enim tam pulchra est, ut hominem ornet, & verè liberum faciat, juxta dictum summæ Veritatis,

☉(○)☉

EXER.

EXERCITIUM.

De Contradictionibus.

I.

Aterna & summa veritas, Verbum sempiternum, & Fili Dei
vivi! ego te glorifico cum omnibus Angelis, Beatis, & Justis,
cum omnibus, quos redemisti, & cum tota sancta Ecclesia tua, &
cum omnibus creaturis, cum omnibus virtutibus, & operibus tuis,
quæ te semper glorificant: quia tu es mea Via, mea Veritas, & mea
Vita. Via, per quam ad te venio: Veritas, per quam te cognosco;
Vita, per quam in te vivo: Via sine periculo, Veritas sine dolo,
Vita sine morte. Qui non per te ambulat, patitur: qui in tua luce
non videt, cæcus est, neque te novit: qui in te non vivit, semper
moritur. Tu es mea vera vita, mea viva & æterna Veritas, Vita
mea secunda. Tu es Deus meus vivus, cui servio: Deus meus verus,
quem diligo: Via mea superna, quâ ambulo. dirige, Domine, pe-
des meos, ut non eant aliâ viâ: da mihi lucem tuam, ut semper
videam veritatem tuam; & vive tu semper in me, ut non habeam
aliam vitam, quàm te. Et quia hoc bonum à tua manu provenire
debet, libera me à malis, quæ mihi ab inimicis tuis, & à meipso
possunt evenire: nisi enim tu me liberes, ego semper tantò pejor
efficior, quantò minus habebō de te. Tu scis, Domine, me luce
tua magis excæcatum iri, nisi penetret cor meum, ut per ipsam
videam. Recordare, Domine, quòd olim dixeris illis, qui se illu-
minatos putabant, Deum velle, ut suam cæcitatem agnoscant:
quam quia non agnoverunt, luce tua magis excæcati sunt. Scio,
Domine, me natum esse cæcum, & per me semper talem futurum.
Miserere mei, Fili David! ut videam te, & agnoscam in operibus
tuis, captusque pulchritudine tuæ lucis, semper te sequar. Per hoc
autem aliud non peto, quàm quod ipse mihi dare vis, & pro quo
tantum exhausisti laboris. Ergo, Domine, da mihi gratiam, ut &
ego eam velim; fac, ut eam promerear; cum gratiarum actione &
amore acceptem omnes istos favores, quos offers, & mihi cupis
prestare. Et cum nolis beneficia mihi prodesse sine me; ego verò
sine te illis uti non possim, doce me, ut illa cognoscam; fac, ut ea
desiderem

M m

desiderem

desiderem: da, ut illa acceptem, amem, æstimem; ut per illa talis efficiar, qualem tu vis.

*Fiducia in
Deum.*

II. Et quomodo mihi, Domine, quod à te peto, potes negare; licet eo dignus non sim, nec sciam, quomodo me oporteat petere? nõne es tu idem Salvator, & Redemptor misericors, qui extendebas tota die manum tuam plenam gratiã, ad populum non credentem, neque te recipientem, imò & contradicentem? Cùm ergo sis idem, nec amor tuus sit imminutus, neque minus sis meus, quàm omnium; audi me, dita me, & da mihi de miserationibus tuis. Recordare, Domine, quanto amore egeris cum gente incredula; quanta mansuetudine toleraveris eam; quanta cum molestia tua dissimulaveris eorum contradictiones in omnibus rebus. Tua luce ita excæcabantur, ut ferre non possent, mundum illuminari à te. Perseverabant suã malitiã regere tuas virtutes: conabantur homines abstrahere à tui cognitione & amore: contradicebant clarissimæ veritati: & opera tua divina pro viribus elevabant; in oculis tuis, & coram toto populo se opponebant tuæ doctrinæ cælesti; leges condebant adversus te, & ex bono suo pejores fiebant; misericordiã ipsis exhibitã condemnabantur, lumine excæcabantur, curatione & redemptione peribant; quia oderant bonum suum, & malitiã adamabant.

*Gravius
fuit Christo
ferre con-
tradictio-
nem, quàm
gracem.*

III. Agnelle mitissime! quantò suavius amori tuo fuisset, crucifigi quotidie pro eorum salute, quàm videre contradictionem infidelium cordium, quã seipsos perdebant? In cruce conversus ad te latro, paradisum obtinuit: illi verò in templo, & suis ædibus, cùm viderentur Sancti, promeruerunt infernum. Nihilominus multa cum molestia ac dolore misericorditer eos supportasti, & conatus es mansuetudine vincere duritiã eorum, & continuis beneficiis expugnare nequitiam: neque per hoc obtinisti quidquam, sed ipsi damnati sunt; tu verò, bone JESU! mansisti in tuo dolore. Muta, Domine, in me has curas; ego confiteor veritatem, quam ipsi non crediderunt: adoro virtutes, quas oderunt: laudo opera divina, quibus contradixerunt. Cùm ergo tantum facias pro his, qui te nolunt, veni, Domine JESU, ad eos, qui te invocant. Tu, Domine dixisti: *dilata os tuum, & implebo illud: si sufficiat,*

Psal. 80. 11.

ficiat,

ficiat, os aperire, opto, ut omnia interiora mea vertantur in os fame tui laborans, ut saties illud. Dilato ergo, quantum possum, suspiria cordis mei, ac desidero impleri te, ac Spiritu tuo. Veni, Domine, *emitte lucem tuam, & veritatem tuam*, & omnia bona, quibus replere soles servos tuos: reple hanc animam te ipso, ut evacuatis aliis rebus omnibus, gaudeat divitiis bonorum tuorum. *Psal 42. 36*

IV. Ah, mi bone JESU! bene scio, quod, si cum rigore justitiae consideres merita mea, clausurus sis divinos oculos tuos, ne respiciant me; obturaturus aures, ne meas voces audiant; & subducturus mihi suavem tuam praesentiam, ut fugiat à me: qui non minores poenas promereor, quam obstinati contradictores tuorum verborum & operum. Nam credendo, quæ illi negabant, & adorando, quibus contradicebant, nihilominus fui semper rebellis tuis vocibus, & inspirationibus. Ego sum pauper & miserabilis; quia semper est defectus in me, & non in te. Quando te non noveram, tu me docuisti: cum te fugiebam, tu me vocasti: cum tui obliviscebar, me illuminasti: cum peccabam, aderas cum inspiratione tua: cum frigebam, accendebas me: semper succurebas cum abundantia, juvabas cum diligentia, cum liberalitate circumdabas me bonis tuis: die & nocte in omni negotio, nisi peccarem, & actu te offenderem, mihi non denegabas tuum favorem: & nihilominus ego secutus meas cupiditates, voluntatem tuam non feci, nec obedivi verbis tuis: sed magis delectatus sum mendaciis, quæ perverterunt meum amorem, & sensum, ac spoliaverunt hoc miserum cor meum purissima tua veritate, plena divinis thesauris. Ego sum unus eorum, de quibus justissime quereris, quod obvertant tibi tergum, vultu averso. Tu conjicebas pios oculos tuos in me, & ego meos in infelices quisquillas terræ: tu me semper insequeris, & ego fugiebam à te: Tu me amabas, & ego creaturas: Tu eras totus in me, & ego totus in aliis extra te: & si si de non contradixi veritati tuæ; gustu & cogitatione favi falsitatis mundi: si non sum oblocutus tuis operibus; me tamen subduxi suavi tuo servitio.

V. O misericors Domine! non possum, nec scio satis confiteri, quam rebellis tibi fuerim semper: scio me circumdatum gra-

M m 2

tiis tuis,

tiis tuis, & sum tamen pauperrimus: excitatum tuâ doctrinâ; & tamen sum cæcus: cumulatam iis, quæ pro me fecisti, & sum tamen miserabilis. Affectus mei semper abripiunt omnes meas cogitationes; & si quando memini tui, cui omnia debeo, recordor & mei tanquam unius è rebus vilissimis: quando enim non venundedi me pro quavis earum? Ah mi Deus! malo tacere mea mala, quàm dicere: tu ipse vides illa cum ea misericordia, quâ toleras. Igitur etiam illis medere eo amore, quo mihi das omnia. Ah mi Jesu! quid sum lucratus eundo contra tuum gustum? quid remansit mihi ex eo, quòd me opposuerim tuæ voluntati, nisi ut jam coram te sim pauper & destructus, ulcerosus & miserabilis, cum possem abundare tuis bonis? sed tu, mi bone Jesu! non es, ut ille dives avarus, qui Lazarum ad sua limina jacentem fastidiosè præteriens, non est ullo cibo dignatus, minus habendo pietatis, quàm canes, qui lingeant eius ulcera: tu Domine mi, tam tenax bonorum tuorum esse non potes, cum tam liberaliter offeras ea nolentibus. Non vis ea pro te solo, cum sis omnium Salvator & Jesus. Ergo mi ditissime Jesu! da veniam pro eleemosyna huic peccatori: da lucem pro eleemosyna huic cæco: sanitatem pro eleemosyna huic obsito plagis: amorem pro eleemosyna isti congelato: subjectionem huic rebeli: correctionem huic erranti: vitam huic mortuo. Et quia non dedisti mihi canes ad ulcera mea linguenda, sed sanguinem tuum ad abluenda; sentiam eius virtute me mutari totum ad gustum, & beneplacitum tuum. Aufer tecum totum cor meum, totum amorem, omnes facultates, totam animam meam. Cessent ab hac hora, Domine, fugæ meæ, & oblocutiones tuæ sanctæ voluntatis. Recupera, bone Jesu! quod tuum est, de manibus inimicorum meorum: tene illud, ac posside semper.

*optandum
à mundo
contemni.*

VI. An non facies, Domine, ut mundus me ejiciat à se, & omnibus, quæ in illo tibi non placent, meque condemnant, neque se dignum judicet propter te? Fecit hoc illi cæco, qui confitebatur mirabilia tua, & cum te non videret, à te visum recepit: & cum foras ejectus tanquam unus è tuis, quærere te non posset, tu illum quæsivisti, ac dignum invenisti, qui te oculis à te apertis conspiceret; & tui amore sustineret, ut mundus eum tanquam male-

maledictum nollet aspicere: tunc ipse te vidit, tunc te adoravit: tunc te cognovit, tunc ei dixisti, quis esses; tunc ille te secutus est, & tu eum inter tuos recepisti in perpetuum. O qui haberet hanc felicitatem! si mihi nocet, habere oculos, Domine, mihi eripe illos, ut mihi des te aspicere: & si nocet, mihi videre aliquid extra te, pone oculos meos in te, & meo cordi ostende te, ut amor tuus apprehendat me. Ah, mi Domine! tantine facis contemnere à mundo, quem hactenus ego tam magni aestimavi ac desideravi aestimari ab illo? O me pauperem! si non merear, quod pauper hic cæcus! ut primum ille te vidit, subito dives fuit, nec potuit sentire amplius ullam miseriam. O divitiarum incognitarum mundo, cur tot annis me permittitis mendicare à paupere mundo? Appare tu mihi, divitiarum mearum: monstra te oculis meis, magnitudo infinita: & quia plus non requisivisti à cæco, quam ut crederet, ac desideraret videre Filium DEI, & mox ei te manifestasti: ecce, & ego credo, Domine, ac desidero Domine, nosse te, videre te, amare te. Noli mihi negare, quod facis me desiderare. Verum est, optime Jesu! quod ille cæcus antea nihil viderit, quod occuparet cor ejus, & Pharisei capti affectu rerum terrenarum, te non cognoverint, sicut & ego: sed, tu, Domine, non restrinxisti virtutem tuam ad cæcos tantum: nam S. Paulus cæcus non erat, quando excæcisti eum, ut te videret. Claude, mi Jesu! oculos meos, ut non videant vanitatem; tolle de corde meo vincula terrena, ut videam te, lumen oculorum meorum; æterna, copiosa, & infinita satisfactio cordis mei!

Mater DEI, & humilis ancilla Domini, quæ semper pluris fecisti subjectionem ancillæ quam dignitatem Matris; humilia cor meum, & subjice veritati; tolle ab eo fallacias mundi ut veritas ab illis me liberet. Spiritus, ac cives caelestes, qui videtis, desideratis, ac possidetis æterna bona, quæ diligitis; quandoquidem ego sum propter illa creatus, elevate cor meum à rebus terrenis, ut liber ab illis, & à me ipso, vivam semper vobiscum in DEO. Amen,